



colorchecker CLASSIC




x-rite

mm



510



510

XV<sup>ème</sup> siècle n<sup>o</sup> 765.

11367

~~1699~~

510 3<sup>ème</sup> pièce

Echange fait en 1895 avec la  
bibliothèque Nationale.

Voir à la fin du recueil.

*[Handwritten signature]*



Modus epistolandi cōpendiosissimus et facilissimus a Dogio florentino compositus.



Vendatur parthilis in bico sancti Jacobi ab Alexandro aliatte: e regione diui Benedicti.

ms

Modus epistolādi editus ac cōpilatus p Pogiū ciuē Florētīnū icipit.  
**E**pistolare officium est vt absentis his de rebus q̄ extrinsecus  
aio ve gerunt certiores reddam⁹. Huius sunt ḡna/gymnasti-  
cum: dogmaticū: scōmaticū: sinthematicū. Gymnasticū est  
qd̄ huc & illuc incerto pede vagat: vt ea q̄ in apologis posita sunt. Do-  
gmaticū est in quo apta fronte/liberalitas & ingenuitas quedā necessa-  
ria ē. Ea sunt hmōi q̄ in sermone serioso tractant. Scōmaticū est qd̄ cum  
iocūditate proferf. Hmōi ḡnis sunt q̄ ad œconomicā & letitiā exprimē  
dā tradunt. Sinthematicū ē in quo grauiatq; seuera describūt. Hmōi  
dicūt q̄ ad religionē v l ad rē publicā attinēt. In apologis purgandū. In  
dogmatico docendū. In scōmatico cum liberalitate iocandū. In sinthe-  
matico cum grauitate loquendū. Ad hęc consequēda/inuentione  
distributione/& elocutione opus est. Inuentio est rez ad mentē nostrā  
spectantiū excogitatio ad distributionē accōmodata. Distributio ē dif-  
positio qd̄dam ad ea q̄ inuēta sūt collocāda. Elocutio est verboꝝ atq; re-  
rū ad ea q̄ inuenimus accōmodatio. eā p̄ceptione/studio/& æmulatione  
facile cōsequimur. Præceptio ē doctrina qua ad bene scribendū certa lege  
ducimur. Studiū est laboriosa actio ad exercitiū accōmodata. Aemula-  
tio est qua doctis similes in scribendo reddi volumus.

Hactenus demonstratū est quō epistolare officiū & eius ḡna cōsequi  
possemus. Nūc qua via ad scribendū accōmodantur dicamus. Inuētio  
in principiū/expositionē/cōprobationē/inductionēq; consumit. Prin-  
cipiū est initiū ep̄læ: cū beniuolentia/ attentatiōe/ docilitate/ad ea quæ  
dicenda sunt inferenda. Enūciatio est clara/breuis/& verisimilis n̄ri cō-  
ceptus expositio. Cōprobatio est rōnis illatio ad cōfirmandū q̄ iā dicta  
fuere. Inductio est q̄ ad cōceptionē illatiōis v l qd̄ eo cōficiat declarat.

Epistola Ouidij Nasonis in ḡne Scōmatico metrico.

Aestus erat mediamq; dies exegerat horam:  
Apposui medio membra leuanda thoro.  
Pars ad aperta fuit: pars altera clausa fenestræ:  
Quale feræ silua lumen habere solent.  
Qualia sublucent fugiente crepuscula sole:  
Aut vbi nox abiit nec tamen orta dies.  
Illa verecundis lux est præbenda puellis:  
Quā timidus latebras sperat habere pudor.  
Ecce chorina venit tunica velata recincta:  
Qualiter in thamalos formosa semiramis isse  
Dicitur: & multis Thais amata viris.  
Diripui tunicam q̄, multū rara nocebat:  
Pugnabat: tunica se tamen illa tegit.  
Quæ cum ita pugnaret: tanq̄ quæ vincere nollet:

Vista est non regre prodicione sua.  
Vt stetit ante oculos posito velamine nostros:  
In toto nusq̄ corpore menda fuit.  
Quos humeros/ quales vidi tetigiq; lacertos:  
Forma pupillarum q̄ fuit apta premi?  
Q̄ castigato planus sub pectore venter?  
Quantū & quale latus: q̄ iuuenile femur?  
Singula quid referam: nil non laudabile vidi:  
Et nudū pressi corpus ad vsq; meum.  
Cætera quis nescit lassū requieuius ambo:  
Præueuiant medijs sic mihi sæpe dies.



Epistola excusatoria apologetica in gñe gymnastico Gasparini veronensis ad Sempronium.

Quid de me sentias facile cōiecto ex turpitudine hoīs & infamia ei⁹ qui aīn tuū a me alienare voluit. q̄ quis em̄ causa nō satis p̄specta esset: tñ ex vita eius q̄ me apud te falsis criminibus insimilauit/ potes intelligere famā bonorū non solere nisi ab improbis tentari. Nō ergo si qua de me dissipata est fabula cōmoueri te oportet: propterea q̄ nullius hoīs adeo spectata est vita: quin aliquid criminandū de illo cōfingī possit. Illud mihi satis est ita in oculis hoīm viuere/ vt nemo me iuste criminari possit. Sed quid plura de hac re ad te scribā/ cū ipse exptus sis in nostra ciuitate semp hoīs fuisse qui aliorū famā insultent: & se putent eo cōmendabiliore fieri quo plus ab eis detractū sit. Sed tu pro tua prudētia nō solū considerabis de quo aliquid dicatur sed etiā a quo hoīe: nec cuius vita improba sit eius orationi fidem habeas.

Epistola M. T. Ciceronis ad Curionē in gñe dogmatico.

Epistolarū genera multa esse non ignoras: sed vnū illud certissimū cuius causa res ipsa inuenta est/ vt certiores faceremus absentes: si quid esset qd̄ eos scire aut nra aut ipsoꝝ interesset. Huius gñis litteras a me profecto nō expectas. tuarum em̄ res domesticarū habes scriptores & nuncios: in meis autē rebus nihil est sane noui. Reliqua sunt epistolarū genera duo: quæ me magnope delectāt. Vnū familiare & iocosum: alterum seuerē & graue: vtro me minus deceat vti nō intelligo. Iocer ne tecum p̄ plures litteras & ciuē me hercule non puto esse q̄ tpibus his ridere possit: an grauius aliquid scribā: quid est qd̄ grauius a Cicerone scribi ad Curionē: nisi de republica. atq; in hoc genere mea sentētia: vt neq; ea q̄ nō sentio velim scribere: quā obrem (qm̄ mihi nullū scribendi argumentū relictum est) vtar ea clausula qua soleo: teq; ad studium summæ laudis cohortabor. Vale.

Nō tñ semp oportet his oībus vti: sed sæpe principio supersedemus. maxie in his sp̄ibus quæ principiū nullū desiderant: q̄s greci ac hepha

leogis dicitur: hoc est sine capite. Reliquis vero partibus utemur nisi a conspectu  
tionis incipiamus. In his epistolis quae in adipsos finem hoc est in replicatione cadunt.

Epistola Gasparini pergamentensis in genere synthe-  
matico hoc est seuerio.

Non parua res est neque inusitata: de qua dudum scribere ad te constitui: ho-  
mines enim quibus in provincia nostra cura tuarum rerum & eorum qui tuis rebus  
fauent commiseras: videntur a te magis & magis indies alienari: quoniam omnes  
(ut rem ipsam vno verbo dicam) quod lupos ouium custodes fecisti. speraba-  
mus quidem nos/qui hic tui sumus/res tuas actuum profligatum iri non pos-  
se ab his qui semper tuis commodis aduersati fuerunt/si procuratores tui ut  
oportebat aduigilassent. Sed inde periculum factum est vni praesidium specta-  
bamus: nam hi boni viri primo per insidias: deinde palam: non solum ad eos qui  
non bene tibi volunt/coeperunt inclinare: sed etiam se illos duces profitentur  
Opus est itaque maturatiōe dum res adhuc potest curari ne tibi accidat id quod  
solet euenire his qui mortuo medicum accersunt.

Epistola replicatoria Lucretiae ad Eurialum.

Velle tibi Euriale more gerere: teque ut petis amoris mei participem fa-  
cere: nam id tua nobilitas meretur/ & mores tui deposcunt ut incallum non  
ames. Taceo quantum placet mihi forma tua/ & plena benignitatis faci-  
es. Sed mihi non est visum ut te diligam: nosco me ipsam: si amare incipiam  
nec modum nec regulam seruabo. Tu hic diu esse non potes: nec ego te postquam  
in ludum veneri possem tacere: tu me nolles abducere: & ego nolle mane-  
re: monent me multarum exemplarum quae peregrinos amantes deserere sunt: ne tuum  
amorem sequar: Iason Medeam cuius auxilio vigilanter interemit draconem &  
vellus aureum asportauit: dereliquit. Tradendus erat Theseus in escam  
minotauro. sed Ariadnae consilio eua sit: illam tamen desertam apud insulam desti-  
tuit. Quid Dido infelix quae profugum recepit Aeneam: nonne illi peregrinum  
amor interitum dedit? Scio quantum periculi est amorem extraneum admittere:  
nec metatis obiecta discriminibus. vos viri solidiores estis/ amorem furo-  
remque magis compescitis: foemina vbi furere incipit/ sola potest morte al-  
sequi terminum: non amant sed insanunt mulieres: & nisi corrumpat amor  
nihil est amate foemina terribilius. Postquam receptus est ignis: nec famam cu-  
ramque nec vitam: vnicum remedium est si copia sit amandi: nam quo magis ca-  
remus magis cupimus nec discrimen timemus vllum dum nostra libidini satis  
fiat. Mihi ergo nupte nobili: diuini consulti est amorem viam praeccludere: &  
tuo praesertim ne vltrodopeia Phillis dicar: vltro altera Sapho. Ideo te oratum  
volo ne vltro meum exposcas amorem: & tuum paulatim comprimam extingua scilicet  
Nam id est viris quae foeminis multo facilius: nec tu si meum dicis amem id ex  
me querere debes quod mihi exitio sit. Pro tuis donis remitto tibi auream  
cruce/margaritis ornatam/ & cristallum redimitam auro/cordis figuram tenete:  
quae licet breuis sit non tamen pretio caret. Vale.



Quoniā igit̄ in qbus ptibus inuētiō cōsumat̄ oñ sum est : nunc qua  
via ad faciōrē ep̄lāz cognitionē/eaz spēs cognoscant̄ dicēdū videt̄.  
Gñā epistolaz vt añ dictū ē quattuor sūt : videlicet dogmaticū siue do  
cile. Cuius spēs sūt dilatoria / excusatoria / purgatoria / & digestiua p or  
dinē. Scōmatici gñis sunt figuratiua / obscura / enigmatica siue silitudis  
in uia / problematica siue pabolica. Sinthematici gñis sūt / consolatoria :  
philographia siue amatiua lra. Epidigestica hoc est supnarratiua &  
expositoria. Gymnastici gñis sunt / antipophora. hoc ē cōtraria relatio  
rephensoria / oppositiua / & denūciatiua : replicatoria / vana siue senodo  
chia : cæteraq; his similia & cæteroꝝ cōia sunt. In oī epistolārū genere  
his pceptis vti poterimus de qbus supra dictū ē : nisi in his q̄ a chephas  
legi a grecis appellata diximus. In qbus igit̄ p̄cipio vtī debemus :  
hæ sunt spēs & gñā videlicet in oībus lris quas ad nouos & icognitos  
amicos scribimus : aut ad sūmos & clarissimos viros qbuscū nulla aut  
pua familiaritas cōflata est. In oī itē gñe grauiū ep̄lāz : aut q̄ grauiū sili  
tudine hnt̄ nec non in apologis q̄ purgationē summi pōderis cōtinere  
vident̄ : vtz si ad aliū q̄ ad accusatorē dirigūtur p̄cipio docendus ē  
ne prius nos purgasse q̄ inscijs purgatiōis cām demōstrasse videamur :  
vt Terētianus ille p̄meno prius se purgat q̄ maleficium expōat̄ Ceteroꝝ  
purgationis rōes clare & dilucide interferendæ sunt ne obscuritate ser  
monis vitia occultasse nō purgasse videamur.

Cū in iocundo igne epistolārū scribemus / cauendū est ne a ioco in  
orationē illiberalē trāeamus ne potius turpi re vituperemur q̄ igenua  
& illustri orōe laudemur. In qbus a p̄cipio & ab expositione incipe  
poterimus. Si p̄cipio vt̄emur aut simili aut a contrario aut ab obliq̄  
re dicto vt̄ facto q̄ liberalem risū & iocūditatē in aīs lectoꝝ creare pos  
sit / incipiemus vt̄ diogenes & anthonius apud Ciceronem / qui cum al  
ter se Cassandram diceret / inquit : possumus tuos ataces nominare. Ha  
bet & gratiæ & iocunditatis plurimum / si tempori / loco / & rei accōmode  
tur : vt̄ I socrates qui in conuiuio rogatus : vt̄ aliquid de studijs suis etiā  
proferret. Quæ ego inquit calleo / neq; tempori neq; loco conueniunt :  
quæ loco & tempori cōueniunt ego non calleo. Nec vos fugiat omnia  
quæ scribunt̄ ad personæ dignitatem & grauitatem referēda esse : aliter  
cum incognito loquendum & agendum est : nam dignitas & hominis  
grauitas maxime cum nulla amicitia iura aut cōsuetudinis intercedant  
talia scribere prohibent ne inepti & rerum inexpertes videamur. Iocus  
vero a dicto : facto : imitatione : deprauatione : & alijs locis plurtimis tra  
hitur : vt̄ in oratorijs institutionibus p̄ceptum est : de quibus succin  
ctē scribere non grauaremur / si labore alieno laudem aut gloriam no  
bis vendicasse videremur.

In Epidiegestica hoc est in supenarratione canēdū est ne aut nimiū longe prosequamur aut nimiū breuiter repetamus. Nam cōmoda breuitas q̄ ad docendū inuēta est nimia breuitate obscurior expositione alia indigebit. et supra q̄ necesse sit alta repetitio nō modo ad declarationē nō introducta videt̄ sed ad tediū & fastidiū legētibus inferēdum. Item cauendū est vt quæ semel in principio posita sunt nō sepius repetātur: nisi necessitate impellamur. In qua etiam cauēdum est cōmutatis verbis eadē repetant̄ ne adeo rudes & vocabulorū inopes aut rerū imperiti videamur: vt quomō repetitio renouanda sit ignoremus. Si vero p̄ antipophorā: id est in cōtrariā relationē scribēdū est prius aduersariorū dicta ratioe certa diluemus q̄ nra valida sentētia itroducemus. Solet enī obesse plurimū & rusticitatis nō nihil habere si atē cōfutationē cōfirmationē introducamus nisi rōne exquirēte vt in oratoris p̄ceptis cōtineēt

In senodochia id est in laudibus versat̄ caute cōfingendū est ne laude nra cōmoti scripsisse videamur. Itaq̄ occulte p̄ dissimulationē in rem vel hoīem: aut in fortunā bonā magnāq̄ partem cōferemus. Si vero alios laudemus id nos studio & amore impulsos facere dicemus. aut q̄ virtutis tāta vis sit vt in ore ardescētī cōprimi nequeat. Aut recto studio facere dicemus q̄ tātæ eius res gestæ virtutis sunt vt inuidia motus videat̄ qui eius facta laudib⁹ cōmorari fugiat. Itē posteriorū notrorū causa nos facere dicemus: vt etiā ipsi eorū exēplo cōmoti flamma & amore recte factorū incendant̄. Exēplo etiā vt emur maiores nostros voluisse strenue agētibus merita premia virtutis reddi. quare statūe in ciuitate coronę: annuli: vexilla. hastęq̄ in bello reddebantur. In cōiūtiis etiā ad animos audiētīū cōmouēdos herorū & p̄clarorū viorū laudes ad tibiam canere consueuere. Vnde & poetis historiographis sculptorib⁹ & pictorib⁹ venia data est aliena vel sua multū p̄futura sculptura aut litteris cōmendare. Lacedæmonios p̄terea solitos esse dicere. nil magna re dignū ab eo homine expectandū esse qui neq̄ laude neq̄ ignominia afficeretur. His itaq̄ causis impulsos nos facere dicemus ne benefactis ipsorū aut posteris nostris defuisse videamur.

Senodochia q̄ etiā ad gratulationē vel gratiarū actionē spectat versas verisimiles magnas & infimas res respicit. nā grās nō modo p̄meritis exquirit: verū etiā eas adauget. vt qui bñficiū cōtulit cōmemoratiōe bñficioorū ad maiora etiā puocet̄. In quibus etiā aio tribuētis cōpēsandum est. Bñficia enī nō re sed aio rependi debēt ne vulgo collata videātur: ex quibus nulla remuneratio expectāda est. Hesiodus & cordubensis Seneca tres grās cōmemorat̄ quas vna p̄sitha. Secūda euphrosyne. Tertia eurialea græcis & latinis dicta est. Has veneris pedissequas. Lactātius cōmemorat. Homerus & Seneca eas nudas. ridētes. puellas. virgines in corona iunctis manibus incedere demōstrant. Quarū due

ad nos facie conuerſe ſunt. Tertia a nobis facie cauertit. Plato enī tres amicitias tresq; amores & tria bona ſtatuit. Vnū diuinū & incorruptū virtuti & rōni cōſentaneū quod Stoici honeſtū dixere. Secundū de generis animi & corruptiſſimę mētis quod Zeno ſtoicorū parēs pprie delectabile voluptuoſum dicit. Tertium ex his mixtū & hoc proprie vtile appellauerūt. Hinc prima gratia eufroſyne nomē duxit. Latine enī diuitias ſignificat. Eurale enī pulchrū interpretat & pprie delectabile a poeta inſerit. Tertia paſithea hoc eſt imenſa ſapiētia quā ppter honeſtū cōmemorant. Veneris pedisſequas nō iniuria gratias dixere. Coniūctionē enī omnium & amicitiarū. Veneris planeta effectrix crediſ. Eſt enim Venus hilaris dulciloqua morigera benigna ingenioſa credula liberalis & patiētię ſummę. Tres gratię dicūtur. Vna enī beneficia promeret: Altera recipit. Tertia reddit. Tria enī beneficiorū genera ſunt promerētium & accipiētium ac reddētium. ſic duę nos ituenſ. tertia a nobis facie auertit. nuda ſinxiffe creditū eſt q; in captādis amicitias habendiq; gratis nil fictū fucatū vel ſimulatū eſſe debet. Ridentes vero dixere grās q; dantiū & beneficia accipiētium vultus tocūdi hilareſq; eſſe debēt. Puellę nō iniuria deſcribūtur. nō enī debēt apud nos cōſeneſcere gratię ſed q̄ primum pro meritis haberi & reddi. Sic & virgines grę enī & bñſicia nō corrupta ſed ſincera & ſancta eſſe debent. Iunctis vero manibus in corona excogitant. Bñſicia enī que inter gratos mittūtur ſemp ad manus dantis redeunt. vñ eſt Grates pſoluere dignas nō opis eſt noſtrę dido neq; q̄qd vbiq; eſt Gentis dardantię magnū q̄ ſparſa p orbē. diu tibi ſi quā pios reſpectāt numina ſi quid vñ iuſtitię eſt & mēs ſibi cōſcia recti prēmia digna ferāt. In antithetiſtica in qua etiā reſidēt illę epiſtolę quib; cōmittūtur qui nobis aliquo amoris vel neceſſitudinis vinculo iuncti ſunt ſeruādū eſt: vt beniuolentia amore affinitate neceſſitudine aliis ve cōmiſſione & cōmēdatione dignis ſcripſiſſe videamur. Item oſtendendum eſt hominē pro quo ſcribimus bñ meritū eſſe: vt a nobis cōmēdēne pro ingrato ſcripſiſſe videamur. Et vt breuib; colligā in huiuſce modi epiſtolis curandū eſt: vt rei petitio apud eū cui petimus poſſibilitas ſit: cauſa honeſta ſequat. vt habeat finem petitio demōſtratur facilitas & ſequatur remuneratio. Is enim magis ex animo nititur: cū laboris remunerationem ſibi propoſitam videt.

Epistolandi modus domini Pogij Oratoris atq; Poetę  
 excellentiſſimi Finitur. Impreſſus impenſis Alexandri  
 Aliatte. vltima martij. M. D. V.

Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



Faint text at the bottom of the page, possibly a signature or a reference note.

510 8<sup>e</sup> pièce

Jacobus. — de epistolandi.  
Tulliano more. stud. in 4.

Double du 609 5<sup>e</sup> pièce

Echangé en 1895 avec la  
Bibliothèque Nationale.



*[Handwritten signature]*

